



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 19. Pontificis consilium de Republica interdicto subjicienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

§. XVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1606.*Senatus Veneti responsum ad Pontificis literas.*

Præfatis literis Pontifex de promulgatis a Senatu legibus acerbè querebatur, quas intentato etiam anathemate mox revocari præcepit, additis minis, acerbiora adhibitum iri remedia, ni sine cunctatione obtemperaturi captos Sacerdotes Nuntio Pontificio traderent. Ad hæc reposuit Senatus, quod penes Principem sit curare, quænam ædificia in ejus ditioe construantur, & quinam eas inhabitaturi essent: altera autem lex nil nisi de bonis temporalibus statuerit; eo fine, ne per eorum alienationem imperii robur debilitaretur, proin nec Pontificiam auctoritatem offendi, nec se in censuras incidisse crederent, vel maxime eo nomine, quod in capiendis hisce Sacerdotibus potestate sibi a Deo data, & nunquam extra legitimos jurisdictionis a Pontificibus approbatæ limites exercita usi fuissent. *Thuan. l. c.*

§. XIX.

Pontificis consilium de Republica interdicto subjicienda.

D 3

Ac-

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Accepto hoc responso excanduit Pontifex, qui jurisdictionem in Ecclesiasticos a Laicis consuetudine obtineri posse pernegabat, privilegia vero, si quæ existant, Romam, ut examinarentur, mitti debuisse, iisque discussis absdubio constituisse aiebat, quod Respublica jurisdictionis sibi concessæ fines excessisset: Interea Duodus Romam venit, ad Pontificis alloquium introductus, cum autem & ipse allatis antea rationibus insisteret, re infecta dimissus est. Pontifex vero aliquoties convocato Cardinalium Collegio mentem suam aperuit, ac re ad deliberationem sæpius revocata omnium sententias rogabat, a suo proposito haud dissidentes. Conficitur igitur anathematis diploma, quod die decima septima Aprilis Romæ in consuetis locis publice affixum, promulgatumque est: hoc comperto mox Duodus Orator unacum Augustino Natio Venetias rediit.

§. XX.

Anathematis atque interdicti sententia a Paulo V. in Venetam Republicam fulminata.

*Abregé de
l'hist. Eccles.
tom. 10.*

Pontifex præfatum diploma ad omnes Ecclesiastici Ordinis status directum Venetias transmissit, in quo enarrata dissi-